



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus XIX. Argumentum. In casu, quo Juspatronatus specter ad infantem,
& pupillum; Præsentatio, ad quem spectet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

28 Tertia promanat, ex quo iidem Avus, & Avia Angeli toto tempore, quo in dicto loco de Gredilla habitaverunt nihil prorsus acquisiverunt, nec emptiones stabilium, vel domorum fecerunt, quod ostendunt animum non habuisse deserendi Originarium domicilium loci de Sedano, illudque contrahendi in dicto loco de Gredilla *Rot. cor. Octob. dicta decis. 145. num. 31.*

Quarta depromitur ex eo, quod cum
29 Joannes Avus Angeli quemdam Puerum in Sacro Fonte Baptismatis levaverit, passus est se describi à Curato, qui erat iuus filius Incolam loci de Sedano; quæ descriptio facta à filio cum scientia, & presentia Patris istius animum ostendit retinendi domicilium illius loci, de quo se denominavit, ut in specie respondit *Rota post Merlin. de legit. decis. 154. numer. 4. & decis. 164. num. 8. utrobique in fine, juxta ultim. impression. coram Merlin. decis. 866. num. 11. in fine coram Duno. Jun. decis. 743. num. 7. vers. Quem tamen animum in fin.*

30 Quinta elicitur ex depositione nonnullorum Testium deponentium Avum ejusdem Angeli nunquam fuisse admissum, ad onera, & honores Civibus dicti loci de Gredilla spectantes, nec tanquam Civem ejusdem loci ab aliquo habitum, & reputatum fuisse *Summ. num. 8.* Quod pariter arguit ejusdem animum alienum à Domicilio, & Civitate contrahenda, ad quem effectum requiritur onerum, & munerum Civitatis supportatio per ea, quæ tradit *Laderch. consil. 74. numer. 51. Cuiusmodi Lautius inter Consilia Criminalia divers. consil. 7. numer. 2. tomo 2. Gratian. dicta discept. 181. num. 21. & 22. Actolin. resolut. 8. n. 89. Afflict. dicta dec. 384. num. 7. Rota coram Duno. Jun. dec. 743. num. 9.*

Neque officiant depositiones nonnullorum Testium ex parte Angeli examinatorum contrarium asserentium, quippe, vel illi deponunt de re gesta tempore quo decem annos agebant, sicque inhabiles sunt ad testificandum *Trivisan. decis. 49. num. 23. lib. 2. Rota in Recent. decis. 361. num. 21. par. 10.*

Vel conquassantur ab aliis Testibus numero, & qualitate majoribus, qui præ-

ferendi sunt illis Angeli, nedum quia isti plures exceptiones personales patiuntur; Verum etiam quia cum onus probandi translationem domicilii incumbat Angelo sufficit ipsius intentionem, quomodocumque offuscari à Testibus contrariis, ad hoc, ut probationem non faciant *Rota in Recent. decis. 158. num. 3. par. 10. decis. 126. num. 11. part. 16. & decis. 297. num. 33. par. 19. & in Asculana Dotis 28. Junii 1700. S. Etenim, & 29. Aprilis 1701. S. Eoque certius coram R. P. D. meo Pio.*

Et ita unica tamen parte &c.

ARGUMENTUM.

In casu, quo Juspatronatus spectet ad Infantem, & Pupillum; Præsentatio, ad quem spectet?

SUMMARIUM.

- 1 Infans non potest presentare, sed presentatio facienda est à Tutore, tutorio Nomine.
- 2 Infans parum, vel nihil differt à furioso.
- 3 Presentatione obligatur Persona, & Anima.
- 4 Pupillus an presentare possit absque auctoritate Tutoris, & num. 5. &
- 6 Tutor potest presentare ad Beneficium vacans de Jurepatronatus Pupilli.
- 7 Presentatus à Tutore an preferendus sit presentato postea à Pupillo.
- 8 Tutor, ut possit presentare, sufficit, quod communiter reputetur Tutor.

CASUS XIX.

Spectante Jurepatronatus ad Infantem, & Pupillum. Queritur an presentatio spectet ad illos, vel potius ad eorum Tutores, vel Curatores?

1 Respondeo primò, quòd infans non potest presentare, nec etiam cum Tutore, sed presentatio facienda est ab ipso Tutore tutorio nomine. Ratio est, quia in presentando requiritur animi discretio, & maturitas iudicii, quia debet presentari persona idonea, & infra terminum

num Juris, qui incipit currere à die notitiæ, & scientiæ; Sed infans caret maturitate Judicii, & animi discretionem, & parum, vel nihil à furioso differt *Leg. Pupillus ff. de acq. hered.* Ergo infans non potest præsentare etiam cum Tutore, sed iste tutorio nomine debet præsentare; Quod etiam apparet ex paritate; Nam Præsentatio similis est aditioni hæreditatis, quia sicut aditione quis obligatur *S. Neque instit. de auctorit. Tutorum*, ita præsentatione obligatur persona, & anima, juxta *Berous hic num. 55. in fine.* Sed infans non potest adire hæreditatem etiam cum Tutore, sed solus Tutor nomine tutorio pro ipso adit *Leg. Si infanti, & Leg. Potuit, Cod. de Jur. deliberan.* Ergo nec poterit præsentare. Et ita tenent idem *Berous hic. Federicus de Senis conf. 102. Calderin. conf. 8. de Jurepatr.*

Quoad Pupillum respondeo secundò, quòd juxta *Archidiaconum in cap. Decernimus 16. quest. ultim.* Pupillus potest præsentare etiam sine Tutore, aut Curatore, & ejus præsentatus præfertur præsentato à Tutore. Sed *Berous* hic contrarium dicit nempe, quòd Pupillus non potest præsentare sine auctoritate Tutoris; Quia licet Pupillus dicatur habere aliqualem intellectum, tamen non dicitur habere Iudicium, nec talem discretionem, ut ipse possit in electionibus dare vocem, & suffragium, ut in *cap. Si ex eo de elect. in 6.* & Pupillus nec velle, nec nolle habet sine interposita Tutoris auctoritate *Text. in Leg. Pupillus ff. de regul. Jur.* Sed in præsentando dari debent voces, atque suffragia; ergo Pupillus non habet tale Iudicium, ut possit præsentare sine auctoritate Tutoris. Item non potest Pupillus absque auctoritate Tutoris adire hæreditatem; ergo nec poterit præsentare.

Sententia tamen Archidiaconi scilicet, quòd Pupillus major septennio, aut hoc completo, possit præsentare absque auctoritate Tutoris, prævaluit in praxi, & ita tenet etiam *Cald. conf. 9. de Jurepatr. Rot. decis. 363. num. 2. par. 4. recent.*

Prout etiam Tutor potest præsentare ad Beneficium vacans de Jurepatronatus Pupilli, quia cum Tutor repræsentet personam Pupilli, & administret omnia

ejus Bona hæreditaria, utique ad ipsum pertinet exercitium Jurispatronatus, quod est annexum hæreditati; qua ratione, sicut ipse administrat, & percipit fructus hæreditatis, ita etiam exercere debet omnes actus, qui respiciunt Ius præsentandi, & Patronatus eidem hæreditati annexum, ut firmat *Lambertin. de Jurepatr. Leg. 2. par. 1. quest. 2. art. 10. num. 1. Garz. de Benefic. par. 1. cap. 9. num. 198. in fine, Rebuff. in tract. de Nominat. quest. 17. num. 55. Guttier. de tutel. par. 3. cap. 29. num. 7. Vivian. de Jurepatr. lib. 5. cap. 3. num. 14. Rota coram Ubald. dec. 727. num. 2. Barbof. in cap. Ex litteris de Jurepatr. num. 6.*

Si autem Tutor prius præsentat, & postea Pupillus, præfertur præsentatus à Tutore, si est magis idoneus, *Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. par. 3. quest. 6. artic. 1. num. 2. & 3.* Inter præsentatos verò à Pupillo, & Tutore, cæteris paribus est locus gratificationi juxta *Lambertin. ubi supra, quem sequitur Narbon. de et at. anno septimo quest. 22. num. 17.*

Tutor autem, ut possit præsentare, sufficit, quòd communiter reputetur Tutor, etiam si esset minus legitimus. *Barbof. in cap. Ex litteris de Jurepatr. num. 6.*

ARGUMENTUM.

Patronus an possit præsentare ad Ecclesiam Parochialem Clericum simpliciter Tonsuratum, & qui non sit nec in Sacris, nec in Minoribus Ordinibus constitutus.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia Parochialis habet annexum Ordinem Presbiteratus, & quomodo num. 11.
- 2 Non potest quis præsentari ad Episcopatum, nisi sit in Sacris constitutus.
- 3 Regimen Animarum est ars Artium.
- 4 In præsentando ad Ecclesiam Parochialem, an requirantur saltem Ordines Minores de tempore præsentationis, & num. 8.
- 5 Patronus potest præsentare ad Ecclesiam